Caspar dei Et Apostolice Sedis gracia Episcopus Misnensis Ad perpetuam rei memoriam Quoniam prophetico attestante eloquio Universorum dominus est Qui rigat montes desuperioribus suis Ut defructibus manuum eius saciatur terra Cuiusquidem rigacionis stillas frequencius homines unius creacionis sencientes desuperioribus descendere defructibus manuum domini tamquam destillacionibus gracie ubertim rigatis Hoc est bonis eis adeo collatis saciati Et in bonis eius contenti Eodemque labore manuum suarum rigatis demontibus eternis stillacionibus conquesierunt In suarum etiam salutem animarum Et cultus divini augmentum liberaliter expendere et sacris usibus applicare intuntur Quod facere cupiens Honorabilis vir dominus Johannes Mergker presbiter nostre dyocesis Animadvertens Quam largiflue quam pie altissimus fructus manuum suarum benedixit Ipse defructibus iustis manuum suarum accionibus ac cristifidelium elemosinis Conquesitis Quandam vicariam In honore dei omnipotentis sue intemerate genitricis virginis marie Sanctorum Apostolorum Thome Bartholomei Jeronimi Georgij Trium Regum Rechon katherine Dorothee et Margarethe virginum In Capella eiusdem venustissime virginis marie Extra muros Opidi Budissen nostre dyocesis fundare et erigere Atque certis infra notatis censibus dotare preconcepit emptis et comparatis in et super bonis vasallorum infrascriptorum et bonis ipsorum subditorum Et primo super allodio Et bonis validi Hans von Doberschicz zcu der Deße una marca Deinde comparavit unam Sexagenam a Nickil von Nawsdelicz Item eine a Cristoff von haugewicz in Redeschwicz unam marcam Et mediam marcam a Nickel panewicz in porschitz Item unam marcam a hans et lutold de Schreiberßdorff in Neschwicz Item unam marcam a wolfram de Panewicz Item unam marcam ab Henze et Jorge fratribus de panewicz in konigiswarte Tres solidos grossorum a Caspar Temericz in forstchin unam marcam ab hans et Caspar fratribus de Temericz in Olsße Item unam marcam a Caspar Sleye in Zorne unam marcam ab Albrecht Schreiberstorff in Neschwicz residentibus Hij census comparati sunt in et super bonis prefatorum vasallorum ac bonis subditorum eorundem Prout hec omnia clarius et lucidius continentur in Cyrographis desuper contextis Titulo tamen iusto et legali reempcionis Quosquidem census providi et Circumspecti proconsul et Consules memorati opidi Budissen nobis humiliter et cum reverencia obtulerunt obnixius et humilius supplicantes Quatenus eos recipere et pro laude dei omnipotentis Et beatissime virginis marie ad novam vicariam erigendam Sub honore et titulo Beatorum Apostolorum Thome Bartholomei Jeronimi Georgij Trium Regum katherine Dorothee et Margarethe virginum in dicta Capella beate virginis appropriare incorporare Eamque in beneficium ecclesiasticum et perpetuam vicariam creare et confirmare graciosius dignaremur Nos igitur Caspar Episcopus antedictus Qui ex credito nobis officij debito divini nominis cultum augeri potiusquam minui amplectimur memoratorum proconsulis et Consulum opidi Budissen Votivis peticionibus inclinati de expresso consensu venerabilis Capituli Ecclesie Budissinen fundacionem dotacionem et appropriacionem prefatas ratas et gratas habentes ratificamus et approbamus Dictum altare in beneficium et vicariam perpetuam erigimus et creamus Redditus quoque predictos et census ecclesiasticos fore Jurique et foro ecclesiastico subiacere debere Invasores quoque et distractores eorundem tamquam sacrilegos fore puniendos Eosque per Rectorem seu vicarium eiusdem perpetuo percipi et sublevari debere Tenebitur tamen vicarius predictus per se vel per alium ad singula onera et officia facienda sicut ceteri eiusdem capelle vicarij legendo et cantando horas de beata virgine atque illis interesse Atque ad tres missas in eodem altari singulis septimanis celebrandas Videlicet dominicas et sextis ferijs de tempore vel de sanctis ut placitum fuerit Et secundis ferijs pro animabus Horis tamen per dominum decanum sibi deputandis faciatque obedienciam tam dicto domino decano Seniori vel Capitulo iuxta consuetudinem ut ceteri vicarij perpetui ecclesie Budissinen Collacionem dicte vicarie quociensque vacare contigerit ad prefatos proconsulem et Consules Ita tamen quod eam nulli alteri conferant nisi actu in sacerdocio existenti vel infra Annum ad omnes ordines maiores se ordinare cupienti volumus perpetuis temporibus pertinere Volumus etiam si dicti census in toto vel in parte redimi contigerit extunc vicarius protempore existens de consensu et certa sciencia patronorum ac decani et totius Capituli ecclesie Budissinen de alijs censibus absque diminucione Capitalis summe providere debebit Quosquidem census ac alios infuturum comparandos omni libertate vt defacto incorporatos volumus gaudere Predictis omnibus auctoritatem nostram ordinariam interponentes pariter et decretum Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre fundacionis erectionis appropriacionis Instauracionis incorporacionis Confirmacionis ac decreti nostri interposicionis infringere Aut ei ausu themerario quomodolibet contraire Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem dei omnipotentis Et beatorum petri et pauli Apostolorum eius se noverit incursurum Datum in Castro nostro Episcopali [...] domini Millesimoquadringentesimosexagesimoprimo die duodecima mensis Decembris maiori nostro sub Sigillo infidem et testimonium [...]

B.I.G. Farbkarte #13